



DISCURSUS JURIDICUS
De
MUTUO.

Quem
Adjuvante SS. Triade.

Suffragante Magnificô ac Nobilissimo
Jctorum Ordine in Includâ Salanâ

*Patrocinate Viro Nobilissimo, Consultissimo
ac Excellentissimo*

DN. JOHANNETHOMÆ
J. U. D. & Professore Publico famigeratissimo,
Facultatis Juridicæ ac Scabinatus hujus loci Adfessore
dignissimo, Præceptore suo omni observan-
tiâ ac cultu prosequendô.

Publico examini submittit

BOGISLAUS à Wedell Nob. Pom.

Habebitur die 4. Maji.

Horis locoq; consuetis.



J E N Æ

Excudebat GEORGIUS SENGENWALDUS.

c1o 1ocL.

411. 33

1650, 16


DISCURSUS IURIDICUS

MULTO

DR. JOHANNES THOMAS

BOCIS ALBA SUCCHONIS FORI

FEIN



IN vastò ac spaciòsò juris pelagò di-
sputaturo mihi idem accidit, quod iis evenire
solet, qui ad opiparum, omnisque generis deli-
catis cibus confertū conviviū invitati dubitant,
quasnam dapes præ reliquis electuri sint: Idem dico
& mihi contigit; siquidem in totò nostrò jure tot mi-
hi oblata materia, ut sanè non dicam in bivio, sed po-
tius in trivio, imò quadrivio constitutus diu fuerim,
consultans, quam materiam præ reliquis arriperem.
Tandem mutui materia mihi placuit, de quo contra-
ctu utpote frequentissimò & quotidianò *arg. l. 9. §. 8.
de reb. cred.* verba quædam, non pro materia dignita-
te, sed pro virium facultate, facturus, ante omnia re-
cordor istius, quod Justinianus Imp. *l. 2. pr. C. de off.
pres. prat. Afr.* monet, inquiens: *In nomine Domini no-
stri Jesu Christi ad omnia consilia, omnesque actus progre-
dimur.*

THES. I.

Hoc fundamentò substratò, operæ pretium
esse arbitror, in antecessum de Contractibus in ge-
nere quædam tradere. Contractus est conventio
habens legitimum nomen, vel causam *l. 7. §. 1. & 2.
D. de pact.* ubi vocem *causam* Accurs. explicat per
dationem vel factum, & sic cum hac convenit definitio Cujac.
par. C. de Oblig. & Act. proposita.

II. Contractus alii sunt proprii s. veri, alii improprii s.
quasi *§. fin. Inst. de oblig. l. 1. pr. D. de O. & A.* ubi dicitur *ex variis
causarum figuris* obligationes nasci; per quæ verba, licet alii in-
telli-

telligant obligationes immediatas, magis tamen arridet sententia *Gotb. ad. d. l. i. intelligentis quasi contractus & quasi delicta.*

III. Proprii contractus alii sunt nominati, qui nomen certum & actionem habent *l. 7. §. 1. de pact.* Alii innominati, ex quibus actio nominata non datur; fitque hoc, vel ob incertitudinem in formam contrahendi, quando dubium est, ad quam contractus speciem, negotium, quod subest, referendum sit *l. 1. de estim. act.* vel ob incertum & non definitum negotium *l. 7. §. 2. de pact. Wes. par. de estim. act. n. 2. Nobilissimus ac Excellentissimus Dn. D. Struve Professor Publicus celeberrimus, Studiig; hujus p. t. Rector Magnificus, Praceptor meus plurimum devenerandus Colleg. Pand. exercit. 19. th. 1.*

IV. Nominati alii vel re, vel verbis, vel literis, vel consensu perficiuntur *d. §. fin. Inst. de oblig.* Et quamvis ad omnes contractus, ut materiale, consensus requiratur *l. 1. §. 3. de pact;* quidam tamen ad complementum insuper formale requirunt, vel rei traditionem, vel scripturam, vel solennia verba, *Suth. dis. 12. aph. ult.* Nec obstat, quod in *l. 1. §. 1. & l. 52. de O. & A.* nulla literarum obligationis mentio fiat; Nam *Rz.* mentionem ejus in *dd. ll.* omissam, ideo, quod rarior eo tempore usus ejus fuerit; quamvis etiam responderi possit, sub verbis comprehendendi literarum obligationem, siquidem verba vel scripta, vel nudè prolata, sufficitque quod in *Inst. d. §. fin. §. 1. de fidejus. t. s. de lit. oblig. & in C. l. 14. pr. de non num. pec.* mentio ejus fiat.

V. Per rem hinc nihil aliud intelligitur, quam factum ipsum, per quod contrahitur. *arg. pr. ibi ac nec dari Inst. de oblig. ex cons. pr. vers. nam omnes Inst. de oblig. quæ ex del.* ubi dicitur, maleficia ex re nasci, quæ verba *Ulp. in l. 25. §. 1. de O. & A.* explicat per factum. *Add. l. 4. pro soc.* ex quo textu licet quidam inferre velint, & societatem contractum realem esse, hoc tamen exinde non probatur, nam factum ibi intervenit non ut modus contrahendi, sed ut modus declarandi consensum. *Nobiliss. ac Excellentiss. Dn. Praeses Professor Publ. famigeratissimus, Praceptor meus devotè colendus colleg. ad Suth. dis. 13. aph. 1.*

VI. Ejusmodi verò contractus, qui re contrahuntur sunt quatuor; inter quos primum locum obtinet mutuum.
pr.

pr. Institut. quibus mod. re contr. obligat. t. t. D. & C. de reb. cred.

VII. Mutuum autem hoc loco non denotat rem; quæ in contractum venit; sed ipsum contractum, qui aliàs mutui datio dicitur *d. pr. Inst. quib. mod. re contr. oblig. l. 2. §. 1. de reb. cred.* In omnibus enim realibus contractibus & rem subjectam & contractum inde descendente eodem nomine appellamus. *Vult. l. 1. jurispr. Rom. c. 30. Treutl. vol. 1. disp. 24. th. 1. lit. A.*

VIII. Et definitur, quod sit contractus realis, quo rem fungibilem alicui damus, ut accipientis fiat, isque tantundem ejusdem generis ac qualitatis nobis restituat *d. pr. l. 1. §. 2. de O. & A.*

IX. Mutuum contractum esse probatur §. 2. *vers. & ex hoc jure. Inst. de I. N. G. & C. arg. pr. Inst. de oblig. quæ ex q. contr. non obstante l. 19. de V. S.* ibi enim contractus unilaterus non definitur, neque de essentia contractus est, ultro citroque obligare. *Suth. disp. 12. aph. 48.*

X. Mutui divisio, quæ à quibusdam in naturale, civile & mixtum dividitur *gl. ad l. 2. §. fin. de reb. cred. Sneyd. ad pr. Inst. quib. mod. re contr. obl. n. 22.* cum à jure civili aliena sit, uti dicit *Just. Mejer. Colleg. Argent. h. th. 7.* siquidem petita est à diversis modis ineundi obligationem, qui modi diversitatem in ipso mutuo non faciunt, merito rejicitur *Magn. ac Nobiliss. Dn. D. Struve d. coll. exerc. 13. th. 4. Treutl. vol. 1. disp. 20. th. 1. lit. D. ibiq. Bacchov. Bocer. cl. 2. disp. 7. th. 8.*

XI. Subjectum huius contractus sunt personæ, inter quas ille celebratur, quarum ad minimum duas esse oportet, nimirum mutuans, qui dat, & mutuarius, qui accipit mutuo.

XII. In mutuo dante duo requiruntur (1) ut dominus sit rei mutuo datæ & (2) ut potestatem habeat rei alienandæ.

XIII. Et quamvis res aliena vendi *l. 28. de contr. emt. junct. l. 25. §. 1. eo. l. 30. §. ult. de act. emt.* commodari *l. 15. l. 16. commod. ut & deponi possit l. 31. de pos.* hoc tamen in mutuo non procedit, in quo si mutuo dans non est dominus rei mutuo datæ, mutuum non contrahitur *l. 2. §. 4. de reb. cred.* ideoque

domino datur rei vindicatio, sicubi extat; aut actio ad exhibendum, si dolò malò consumta *l. 11. §. ult. de R. C. si bonâ fide*; condictio competit *d. §. ult. eaque sine causâ ut vult gl. ad l. 32 de R. C. Magn. ac Nobiliss. Dn. D. Struve exerc. 13. th. 6.*

XIV. Potestatem rei alienandæ non habent illi, qui licet domini sint rei mutuò datæ, propter aliud tamen impedimentum bona sua administrare nequeunt.

XV. Quale impedimentum, intellectus nimirum & voluntatis defectus, ante omnia in furioso se offert, hinc itaque patet eum nec Curatoris autoritate accedente (voluntatem, quæ in furioso non adest, *l. 40. de R. J. supplente*) mutuum contrahere posse *l. 5. de R. J. l. 1. §. 12. de O. & A. Bocer. d. disp. 7. th. 11. non obstante l. 12. de R. C. & l. 24. de O. & A.* ibi enim non dicitur, quod verum mutuum à furioso contrahatur, sed quasi mutuum tantum, quod ex postfacto per consumptionem sc. & in rem versionem convalescit, ut deinde condictio furioso acquiratur, secus verò est, quando ex ipsâ re, ubi consensu non adeò opus, obligatio venit, tunc enim obligatur furiosus *l. 3. §. 5. de neg. gest. l. 25. l. 70. §. 4. de fidejus. l. 46. de O. & A. & si dilucida intervalla furoris habeat, contrahere potest. arg. l. 20. §. 4. qui test. fact. poss. & l. 9. C. eo.*

XVI. Hinc etiam sequitur, pupillum sine tutoris autoritate mutuum contrahere non posse *§. 2. Inst. quib. alien. lic. vel non l. 19. §. 1. de R. C. l. 9. pr. de auctor. tut.*; & quidem in genere, quod attinet ad infantem i. e. septennio minorem *l. 14. de sponsal. l. 18. C. de jur. delib.* hic nec alios sibi, nec se aliis obligat *§. 9. Inst. de inut. stip.* Infante autem major alios quidem sibi obligat *pr. Inst. de auctor. tut.* se verò aliis absque tutoris autoritate non obstringit *d. pr.* nisi in tribus casibus, ut quando (1) dolo quid commiserit *l. 1. §. 15. de pos.* (2) aut ex re actio venit *l. 46. de O. & A.* (3) aut locupletior factus *d. §. 15. l. 3. pr. commod.* quibus casibus civiliter obligatur *Magn. ac Nobiliss. Dn. D. Struve exerc. 4. th. 20.* An autem pupillus pubertati proximus extra hos casus naturaliter obligetur? Dd. inter se non conveniunt, sed diversis ll. in pxi diversa statuunt: Pro conciliatione autem textuum disidentium videtur dicendum esse, quod pupillus natura-

naturaliter obligetur, si ipsam rem spectes, & alias personas;
sic novari potest. *l. 1. de novat.* & fidejussor tenetur *l. 127. de V. O.* sic etiam creditor hæres pupilli existens totum debitum ex hæreditate deducit *l. 95 §. 2. de solut.* quoad effectum verò in ipsius personam consideratum pupillus naturaliter non obligatur *l. 59. de O & A. l. 29 l. 41. de condict. indeb.* *Nobilissimus ac Excellentissimus Dn. D. Brunne man Professor Publicus in Academia Viadrina celeberrimus, Præceptor meus debito honore prosequendus in præl. publ. de contract. t. 3. Bacchov. ad Treutl. vol. 1. disput. 6. th. 5. lit. B. & l. 1. miscell. c. 12.* ubi etiam inter ipsam obligationem naturalem, & effectus eius distinguit.

XVII. Circa minorem distinguitur: Aut habet Curatorem, aut non; Hoc casu, uti alios contractus, ita etiam mutuum inire potest, & contractus subsistit, salvo tamen restitutionis remediò *l. 3. C. de restit. min.* Priori casu sine consensu Curatoris mutuum contrahere non potest *d. l. 3. Bocer. cl. 2. disp. 7. th. 19. Harpr. ad pr. Inst. quib. mod. re contr. obl. n. 42.* id quod patet ex comparatione *d. l. 3.* subjecta, comparatur namque sibi cum prodigo, qui verò promittendo obligari non potest. *l. 6. de V. O. Magnificus ac Nobilissimus Dn. D. Ungebauer J. C. & Ordinarius huius Salanae de venerandus, Præceptor meus submisit colendus exercit. Justin. 10. q. 4. in nego. Bacchov. ad Treutl. vol. 1. disp. 6. th. 5. lit. C.* sub bonis enim, quorum administratio minoribus adempta, etiam obligatio comprehenditur *l. 21. l. 49. de V. S.* Et quamvis Cujac. sententiæ huic contrarius inter contractum personam obligantem, & qui rem constingat, distinguat; illumque à minore contrahi posse *per l. 101. de V. O.* hunc non item *per d. l. 3.* putet, videtur tamen, distinctionem illam, non posse subsistere, cum nulla obligatio personalis sit, quæ nihil detrimenti realis respiciat, semper enim nudo etiam facto promisso tacite succedit obligatio ad id quod interest *§. fin. Inst. de V. O. l. fin. de præ. stip. Gædd. ad l. 21. de V. S. n. 8. Qui n. 18. ad d. l. 101. R.* quod relativum Suis sit referendum ad creditores ut sensus sit: Puberes curatores non habentes suis creditoribus obligari posse. *Magnif. Dn. Ordinarius d. l. in Ajo accipit d. l. 101. de eo casu, quando locupletior est factus minor, vel quando sponsa-*

Sponsalia aut nuptias contrahit per l. 20. de rit. nupt. l. 8. C. de
nupt.

XVIII. Nec prodigus mutuum contrahere potest l. 9. §.
7. de R. C. l. 6. de V. O. l. 10. pr. de cur. fur. Boc. cl. 2. disp. 7. th. 12. Mejer.
colleg. Argent. b. th. 10. Est autem prodigus, cui à prætore bonis
interdictum; quamvis enim natura & Ethicè dicatur prodi-
gus, qui sua profundit, non tamen is statim Juridicè aut Poli-
ticè prodigus est, ad hoc enim necessariò requiritur decretum
judicis. quo bonorum administratio interdicta l. 1. pr. l. 10. pr. l.
15. pr. l. 16. §. 1. de cur. fin. Nobiliss. Dn. Præs. disput. de prod. posit. 2.
Gail. 2. obs. 51. n. 2. §. l. 2. de P. P. c. 3. n. 11. Pbil. Matth. ad l. 40. de R. J.
n. 18. Riem. quæst. illustr. dec. 3. q. 10. Bronch. cent. 1. as. 26. antequam
enim hæc fiat declaratio, rectè cum eo contrahi potest, non
aliter atque cum eo, qui rebus suis bene præest Vult. ad pr. Inst.
de emt. n. 65. adeò ut nec ultima voluntas per infecutam prodi-
galitatis declarationem infirmetur §. 2. Inst. l. 6. §. 1. D. qui test.
fac. Nobiliss. ac Excellentiss. Dn. Præs. d. disp. posit. 12. n. 2.

XIX. Speciali ratione Præsidibus provinciarum olim
prohibitam fuit mutuum dare l. 33. D. §. l. 3. C. b. quæ prohibitio
non videtur pertinuisse ad urbanos magistratus, cum odiosa
non extendenda, sed potiùs restringenda l. 42. de pæn. §. dd. Il
expresse de provinciis loquantur Nobiliss. ac Excellentiss. Dn. D.
Brunneman d. l. Hodiernis moribus magistratus licitè mutu-
um contrahunt, cum hodie illi perpetui sint arg. l. 34. b. Treutl.
vol. 1. disp. 20. th. 4. lit. B. dummodò de illorum impressione non
constet Harp. ad pr. Inst. quib. mod. re contr. n. 33.

XX. Circa civitatem specialiter notandum, quod illa
non minùs ex mutuo obligetur, conveniri que possit, ac pri-
vatus arg. l. 7. 8. 9. quod cujusq. in nom. l. 15. ad SC. Maced. si sci-
licet omnes in unum convocati, vel major pars contraxerint
l. 19. ad municip. l. 7. C. de omn. agr. desert. ibiq. Gothofr. vel unani-
mi consensu Syndicum ad contrahendum constituerint Treutl.
vol. 1. disp. 10. th. 4. lit. B. Gædd. ad l. 17. de V. S. n. 22. vel si illi mu-
tuum acceperint, penes quos est regimen civitatis, & qui to-
tum populum repræsèntant, quales esse solent, Senatus, tri-
buni plebis & magistri collegiorum opificum Magn. ac Nobi-
liss.

lib. Dn. D. Struve *pr. laud. coll. exerc. 13. th. 7.* Imò si administratores civitatis mutuum acceperint & à creditore probari possit, in utilitatem civitatis pecuniam versam esse, civitas etiam tenetur. *l. 27. de reb. cred. l. un. C. de solut. & lib. deb. civ. Nov. 120. c. 9. §. 3.* Quod si verò à creditore versio in utilitatem civitatis probari non possit, tunc administratores tenentur *d. l. 27.* Hoc quod de civitatibus tantum, etiam ad Ecclesias *Auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccl. cap. pen. X. de fid. & alias universitates applicatur, Magn. Dn. D. Struve d. l. th. 10.*

XXI. Filiusfamiliàs quamvis ex omnibus contractibus tanquam paterfamiliàs teneatur, & in solidum conveniri possit *l. 39. de O. & A. l. 44. de pec. l. 57. de jud. l. 3. §. 3. de SC. Maced. ex mutuò tamen ob SC. Macedonianum non obligatur l. 1. §. 1. r. de SC. Maced.* quod publicæ utilitatis causâ in odium foeneratorum introductum *l. 40. de condi. in d. l. 9. §. 4. de SC. Maced. Trentl. vol. 1. disp. 20. th. 7. lit. B. Cujac. ad t. D. & C. de SC. Maced.* eoque cautum, ne quis filiofam. sine consensu patris mutuam pecuniam det *l. 1. b. r. vel si dederit, ut per exceptionem SC. Macedoniani actio creditoris excludatur d. l. 40. l. 7. pr. §. 1. b. r.* cum scil. ex mutui datione orta fuerit obligatio, non tantum naturalis *l. 10. b. r.* verum etiam civilis *l. 18. b. r.* adeoque positâ causâ, obligatione sc. necessario subsequatur effectus, actio sc. & condemnatio *l. 11. b. r. Wespar b. r. n. 9. Sneyd. ad §. pen. quod cum eo qui in alien. pot. n. 7.* nisi illa per exceptionem elidatur. Quod verò dicitur *d. l. 1. actionem petitionemque creditori non dari & d. pen. §. Inst. quod cum eo actionem denegari,* intelligendum est de effectu actionis *l. pen. C. b. r.* qui cum per exceptionem hanc extinguatur, videtur etiam nulla actio data *per l. 13. l. 112. de R. J. Wes. d. l. Vult. ad d. pen. n. 9.*

XXII. Cum itaque ratio ista, ob quam hoc SCt. introductum, odium nimirum foeneratorum nec hodie cesset, etiam easdem vires, quas olim habuerit, adhuc nostro tempore obtinet *Just. Mejer de SC. Maced. th. 2.* ubi etiam ex *Petr. Greg. Tholos. l. 22. syntag. jur. cap. 2. n. 8.* refert; ad hujus imitationem Senatum Parisiensem statuisse, ut irritæ sint venditiones mercatorum, qui filiisfam. merces sine consensu patrum, vel mi-

B

nori-

moribus sine autoritate tutorum aut curatorum vendunt, in poenam mercium amissione statutâ.

XXIII. Competit verò hæc exceptio filiofamiliâs cuiusvis etiam in dignitate constituto *l. 1. §. fin. b. t.* nisi per dignitatem illam potestate patriâ exierit *arg. §. 4. Inst. quib. mod. patr. post solv. Gotb. & gl. ad d. §. fin.* etiam post contractum sui juris factum *d. l. 1. pr. & patri l. 9. §. 3. D. l. pen. C. b. t. & avo l. pen. §. 1. C. b. t.* etiam si nepos consensu sui patris mutuam acceperit *l. 14. b. t. & hæredi l. 7. §. 6. & 10. b. t. & fidejussori, nisi donandi animo intercesserit d. l. 9. §. 3.* sive privatus, sive civitas mutuam dederit *l. 15. b. t.* Et adhuc obtinet, licet filiusfam, eidem renunciârit, *arg. l. 7. §. 14. de pact.* regula namque illa: Quilibet favori pro se introducto renunciare potest *l. pen. C. de pact.* hîc locum non habet, siquidem Sctum hoc primariò ob utilitatem publicam introductum *l. 1. pr. verb. qui pessimo b. t.* nec valet renunciatio, etiam si juramentum accedat *arg. l. ult. C. de non num. pec. ne quidem jure Canonico, quo jure, cum juramentum tres habere, comites, iudicium, veritatem, iustitiam c. 2. caus. 22. q. 2. c. 26. X. de jurejur. nec vinculum iniquitatis esse debeat c. 18. eo.* quæ verò eo casu, cum juramentum super mutuo filiofamiliâs servando interponitur, magna subest; siquidem Sctum hoc ob publicam utilitatem, quæ juri naturæ congruere videtur, introductum, ut supra dictum, sequitur, nec eo jure mutuo filiofam. appositum juramentum firmum esse, idque ex similitudine rationis *c. 12. X. de for. comp.* ubi clericus cum juramento renunciare nequit favori illi, quod non teneatur laicum iudicem agnoscere; & *c. 2. de pact. in bto* ubi juramenta in alterius præjudicium tendentia non obligant. *Add. Magn. ac Nobiliss. Dn. D. Struve exerc. 14. th. 14.*

XXIV. Cessat exceptio hujus Scti, si filius expressâ patris voluntate *l. 2. C. b. t.* (sive antecedente *l. 12. b. t.* sive subsequente *l. ult. C. b. t.*) & tacitâ (si sc. sciat pater & patiatur *l. 4. C. b. t.* vel solvere cœperit *l. 7. §. pen. b. t.*) imò & præsumtâ mutuam contrahat, (si sc. in rem patris pecunia versâ *l. 7. §. 12. D. l. 2. C. b. t.* veluti si mutuam pecuniam sumat, ut dotem pro filiâ constitueret *d. l. 7. §. 2.* vel si studiorum aut legationis causâ, ad

ad eam usq; quantitatem, quam pater subministrare solebat, vel patris pietas non recusaret, mutuū ineat. *d. l. 7. §. 13. D. l. 5. C. b. t.*) Item si filiusfam. fuerit miles *l. ult. §. 1. C. b. t.* si paterf. factus debitum agnoverit, vel novando *l. 2. C. b. t.* vel partē solvendo *l. 7. §. fin. b. t.* quo casu eum etiā ad reliquā partem teneri dicit *gl. ad d. §. fin. Treutl. vol. 1. disp. 20. th. 8 lit. A.* Diversum tamen in pignore obtinet *l. 9. pr. ibiq; gl. b. t. Treutl. d. l. lit. B.* Itē si creditor ipsū pro patref. habeat, sive quod publice talis existimetur *l. 3. pr. D. l. 2. C. b. t.* sive quod se patremfam. simulaverit *l. pen. D. §. l. 1. C. b. t.* aliisque quibusdam modis, quos vid. *apud Just. Mejer. de Scto Maced. th. 5. eosq; Vult. in Jurispr. Rom. l. 1. c. 21. §. seqq.* ad septem capita revocat.

XXV. Absoluto subjecto huius contractūs ad objectum eius devenire necesse esse. Sciendum autem est, quod in contractibus non solum res, quæ conditione suā dari possunt *l. 35. de V. O. l. 34. §. 1. de contr. emt.* sed etiam facta honesta & licita veniant *d. l. 35.* Sic in stipulationem facta deducuntur *§. fin. Inst. l. 2. pr. D. de V. O.* sic & factum locatur *§. 4. in fin. Inst. l. 22. §. D. loc. & mandatur t. t. Inst. de mand.* Ab hoc verò contractū removen- tur non tantum facta, sed etiam res incorporales, & corporales immobiles, imò omnes res etiam mobiles, præter quanti- tates, quæ solæ in contractu, qui nobis paginam facit, locum inveniunt.

XXVI. Per quantitatem. autem non intelligimus hîc cum Don. & Zas. pecuniam solam numeratam, ad quam sententiam confirmandam illi quidem textus quosdam produ- cunt, in quibus pecunia nomine quantitatis indigitetur, aut inde non adstruitur, quod nec aliæ res quantitates dici possint, nam quamvis concedamus, quod signata pecunia καὶ ἐξοχήν sæpius quantitas vocetur, sola tamen in quantitate non confi- sit *l. 95. vers. quia & hoc verbum de leg. 3. l. 11. de jurisd. Gædd. ad l. 4. de V. S. n. 25.* Imò & pecuniæ nomine aliæ res veniunt *l. 2. §. 1. C. de const. pec. l. 5. l. 178. de V. S.*

XXVII. Sed res pondere, numerò & mensurâ constan- tes denotamus *pr. Inst. quib. mod. re contr. obl. l. 2. §. 1. de reb. cred. l. 1. §. 2. de O. & A.* quæ in genere suo functionem recipiunt per

soluionem quàm specie d. l. 2. §. 1. h. e. uti explicat *Vult. ad d. pr. n. 15.* quarum altera alterius vicem ita sustinet, ut omninò illa ipsa, quæ data quidem, sed nunc consumpta est, esse censeatur; hinc itaque constat, libros, fundos, gregem, vestes, equos &c. mutuò non dari; quamvis enim & fundus ad mensuram l. 10. §. 1. de per & comm. rei vend. & grex ad numerum vendi possit l. 35. §. 6. de contr. emt. id tamen non sufficit ad hunc contractum ineundum, cum sic omnibus rebus hic locus sit: Aliud enim est, ad numerum vel mensuram vendi, aliud numerò vel mensurâ constare, ad hoc enim requiritur, quod res naturâ ad hoc inventa sit, ut numeretur vel mensuretur; item ut eius usus sit in abusu, unde patet, panes mutuò dari posse, & quidem, si habeant determinatum pondus, ad numerum, si non, ad pondus dari debent *Sutb. diss. 13. aph. 12. Bacchov. ad Treutl. vol. 1. disp. 20. th. 1. lit. F.*

XXVIII. Forma huius contractûs in eo consistit, ut res tradatur ita, at accipientis fiat *pr. Inst. quib. mod. re contr. obl.* unde etiam mutuum dicitur, quod ex meo tuum fiat d. pr. l. 2. §. 2. de reb. cred. *Caj. in fragm. l. 2. Inst. t. 9. §. 1. in fin.* non per veram Etymologiam, sed per allusionem quandam. *Coras. l. 3. miscell. c. 22.* Hic igitur quæritur, An mutuum sit alienatio? Pro negativâ pugnare videtur & l. 20. C. de pact. & ratio: quod scilicet nemo pro re propriâ mercedem solvat; debitor verò pro usu pecuniæ usuras solvat. Sed adfirm. magis placet *per d. pr. Ad (1)* itaque *R.* Mutuum in genere & abstractè, ut contractus est, spectatum, causa seu titulus est dominii transferendi. Traditio verò, per quam fit contractus, transfert dominium, & ita mutuum constat alienatione *Magn. ac Nobiliss. | Dn. D. Struve exerc. 13. th. 15.* Idem etiam in pignore occurrit, quod contractus est, & tamen eo constituitur jus in re, non quatenus consideratur ut contractus, sed quatenus traditio consideratur, per quam perficitur *Magn. ac Nobiliss. Dn. D. Struve exerc. 16. th. 13.* Ad (2) Obj. *R.* (1) Reg. illa non procedit in rebus fungibilibus, quarum dominium, cum sc. usu illæ absumantur, in accipientem transferri necesse est, adeoque in compensationem usûs, quem accipiens habet, ad similitudinem mercedis, quæ in

in rebus non fungibilibus datur, hinc usura solvitur *Magn. ac Nobiliss. Dn. D. Strube exerc. 21. tb. 27. n. 2. (2) R.* Usuræ præstantur non ex contractu mutui, sed ex distinctâ conventionem à mutuô.

XXIX. Nihil autem interest, utrum verè *l. 2. §. 3. de reb. cred. an per fictionem, ut vocant, brevis manûs l. 43. §. 1. de jur. dot. res tradita sit, veluti si quis permiserit depositario uti pecuniâ depositâ, tunc mutuum est statim à permissione l. 9. §. fin. de R. C. l. 34. pr. vers. nec huic simile mand. secus verò si tempore depositionis permittat depositario uti pecuniâ, nam tunc mutuum demum contrahitur à tempore motionis. l. 10. de R. C. si convenerit, ut pecuniam, quam quis ex causâ mandati debet, crediti nomine retineat l. 15. de R. C. cui ob stare videtur l. 34. pr. mand. quarum ll. conciliationem vid. ap. Bacch. in Treutl. vol. 1. disput. 20. tb. 3. Coras. 6. misc. 16. si debitorem quis jusserit, ut alteri mutuum roganti pecuniam daret l. 15. l. 32. h. t. d. l. 34. si rem vendendam quis alteri dederit, ut pecuniâ ex illâ redactâ utatur l. 11. pr. b. t.*

XXX. Re itaque sic traditâ, accipiens statim incipit esse dominus, quapropter si quolibet fortuito casu eam amiserit, eius damnum erit §. 2. *Inst. quib. mod. re contr. obl. l. 1. §. 4. de O. & A. l. 11. C. si cert. pet. l. 9. C. de pign.*

XXXI. Porrò mutuum naturâ suâ gratuitum est *l. 11. §. 1. de R. C. l. 17. pr. de pact. l. 121. de V. S. Sneider. ad pr. Inst. quib. mod. re contr. obl. n. 6. siquidem ex familiaritate & amicitia æquè ut commodatum, quod gratuitum §. 2. Inst. quib. mod. & mandatum §. fin. Inst. de mand. profectum Harpr. ad d. pr. n. 93.*

XXXII. Unde mirari subit, hodie rarum, imò ferè nullum mutuum dari, ex quo usuræ non petantur, cum ex natura mutui peti nequeant, quod gratuitum; nec ex pacto mutuo adjecto peti possunt, ex quo quidem, si in continenti contractibus bonæ fidei adjiciatur, usuræ debentur *l. 5. C. de pact. inter emt. & vend l. 4. C. de usur. l. 7. §. 5. de pact. secus verò in stricti juris contractibus, qualis est mutuum, in quibus usuræ ex stipulatione adjectâ licitè sumuntur l. 24. de presc. verb. l.*

10. §. 4. mand. l. 3. C. de usur. In mutuo itaque usurae non nisi stipulatione promissae praestantur, solutae tamen nec repeti, nec in sortem computari possunt *d. l. 3. Treutl. vol. 2. disp. 3. th. 3. lit. B.* In quibusdam tamen casibus etiam ex nudo pacto usurae in mutuo debentur, nimirum in re mensuram constantel. *12. C. de usur. ibiq. Goth.* ubi tradit rationem huius, incertum nempe & inconstans frugum pretium per l. 23. C. eo. Item si a civitate vel argentariis pecunia alicui credatur l. 30. de usur. Nov. 136. c. 4. Imò & in pecuniâ trajectitiâ usurae citra stipulationis vinculum recte petuntur l. 5 §. 1. l. 7. de naut. faen. Magn. ac Nobiliss. Dn. D. Struve exerc. 21. th. 29. Boc. cl. 4. disp. 20. th. 22. Mejer. de us. th. 7.

XXXIII. Ultra legitimum tamen usurarum modum stipulari non licet, qui olim erat usura centesima l. 8. C. sicert. pet. l. 4. §. 1. de naut. faen. quae est, quando unus aureus pro 100. singulis mensibus, vel 12. annuatim solvuntur; ita dicta, vel quod centesimo mense sortem aequet, vel quod centesima pars fortis menstrua erat usura *Treutl. vol. 2. disp. 3. th. 4. lit. A. Mejer. de usur. th. 16.* veteres enim in singulos menses usuras stipulati sunt. l. 40. de R. C.

XXXIV. Justinianus verò pro negotiorum qualitate, & personarum conditione varias usuras constituit, ac centesimam usuram in pecuniâ trajectitiâ, inque specierum faenorationibus permisit l. 26. §. 1. C. de usur. ratio illius periculi in se suscepti magnitudo, ratione cuius eam hodie quandoque excedi Vinnius monet, adeo ut interdum 20. pro 100. usurarum nomine sumantur, huius verò inconstans & incertum frugum pretium l. 23. C. de usur. Eademq; usura tunc concessa, quando quis post tempora rei iudicatae non solvit t. t. C. de usur. rei jud. & quidem de nudâ sorte, non verò de usuris in condemnationem deductis l. 3. C. de usur. rei judic. Illustribus autem trientalem i. e. tertiam partem centesimae, 4. annuatim in 100; Mercatoribus besalem i. e. 8. in 100. Caeteris hominibus semissem usuram i. e. 6. in 100. stipulari licet d. l. 26. §. 1.

XXXV. Hodie in Imp. Romano quincunces usurae i. e. 5. in 100. admittuntur, ad exemplum annuorum reddituum, in quibus haec usurae expressè constitutae *Reichs Abschied de annis*

nis

vis 1530. 1548. 1577 sub tit. Von wucherlichen Contracten. In Imp. hæreditariis regniq; Bohemiæ provinciis usuras semisses concessas esse dicit Treutl. vol. 2. diff. 3. th. 4. lit. E. quæ etiam in patriâ vicinisq; locis quotidie exiguntur.

XXXVI. Uti autem legitimum usurarum modum excedere non licet; ita nec usurarum usuras stipulari permissum est l. 26. §. 1. de condiç. ind. l. 20. C. ex quib. caus. infam. & hoc adeo verum, ut neque usuras in sortem redigere l. 28. C. de usur. neq; de usuris in condemnationem deductis rursus usuras exigere liceat l. 3. pr. C. de usur. rei jud. nisi sorti junctæ ad alium transferint, quo casu usuras usurarum solvere necesse est l. 58. §. 1. & 4. de adm. tut. l. 7. §. 12. eo. l. 11. §. 3. mand.

XXXVII. Porrò non licet ulteriores usuras petere, postquam sorti adæquata sint l. 26. §. 1. de condiç. indeb. l. 27. §. 1. C. de usur. l. 4. §. 1. de naut. fæn. & hoc etiam procedit in usuris particulariter solutis, adeo; ut si quis ex usuris duplum sortis perceperit, neque sortem neque usuras amplius petere possit, sed debitum extinguatur Nov. 121. c. 1. & 2. Nov. 138 Quod verò attinet l. 10. C. de usur. in quâ dicitur, quod particularis solutio non proficiat reo ad dupli computationem, illa correctâ per dd. Nov. Nec obstat, quod quidam putant, creditorem intra aliquot annos usuras petere negligentem, ulteriores usuras, propter præscriptionem obstantem, exigere non posse; siquidem Nov. modum usurarum determinantes non in præscriptione se fundant, sed simpliciter hunc modum statuerunt: Absurdum etiam esset, deterioris conditionis esse debitorem diligentem, quàm illum, quî in morâ consistit. Limitationes quasdam vid. ap. Magn. ac Nobiliss. Dn. D. Struve exerc. 21. th. 24.

XXXVIII. Ut verò creditor eò securior sit, fidejussores interdum pr. Inst. de fidej. à debitore ei dantur l. 26. de reb. cred. interdum etiam sub pignore mutuum contrahitur l. 41. pr. d. R. C. si verò non acceperit idoneum pignus creditor, nihil obest, quò minus totum debitum exigere possit l. 28. de R. C. Sed hæ materiae ulteriorem tractatum requirunt, ideoq; tacitus ac lubens eas prætereo, ad obligationem, quâ debitor creditori obstrictus, transitum faciens.

XXXIX.

XXXIX. Tenetur autem debitor rem mutuò datam, creditori reddere; & quidem (1) tantundem seu eandem quantitatem, quam accepit, adeò ut nec in plus teneatur, etiam si pacto provisum sit *l. 11. §. 1. de R. C. l. 9. C. de non num pec. l. 17. de pact.* unde itaque apparet, in hoc contractu, utpote qui realis est, non tam conventionem, quam rem ipsam attendi: Pacto tamen nihilominus effici potest, ut minus, quam datum, debeatur *d. l. 11. §. 1.*

XL. (2) Obligatus est debitor ad rem in eodem genere, non in specie (ut Jcti loqui amant, secundum Dialecticos verò in eadem specie) reddendam *l. 2. pr. d. reb. cred. & ne æstimatione quidem rei creditæ invito creditori obtrudi potest d. l. 2. §. 1. l. 3. eo.* Quod verò *l. 22. b. t. de æstimatione* dicitur, quo sc. tempore ea fieri debeat; non eò detorquendum est, quod coactus sit creditor, debitore æstimationem offerente, eam recipere, sed intelligendum est de eo casu, quo creditor illã acceptat, nec renuit & tunc quæritur; cuius temporis ea præstanda sit? & deciditur, quod litis contestatæ tempore fieri debeat: *Wesemb. in par. de reb. cred. n. 12.* litis enim contestatæ tempore pro æstimatione præstanda in stricti juris actionib. attenditur *l. ult. de cond. tritic. l. 3 §. 2. commod.* Alios textus obstantes eadem responsione infringere, aut etiam dicere possumus, quod intelligendi sint eo casu, quo res credita à debitore reddi non possit, adeoque necessario æstimatio præstanda.

XLI. Quod autem dictum est, in mutuò non reddi eandem speciem, id obtinet quoad propositum & animum contrahentium; ex postfacto verò & accidenti, ut si debitor postea non indigens re mutuò datã idem numero non deterioratum restituat, aliter evenire potest *Suth. diff. 13 aph. 17.* & re vera mutuò eo casu contractum, non commodatum aut depositum, uti *Vac. à Vac. motus l. 2. pr. de R. C.* existimat; nam *d. l. 2.* non de postfacto, sed de initiò, quod semper in contractibus, non verò exitus, considerandum est *l. 8. pr. mand. l. 12. de SC. Maced.* loquitur. Et nostro casu dominium rei in accipientem translatum est, quod cum naturã commodati & depositi pugnat. Imò etiam si alterius generis res postea reddatur, nihil impe-

impedit, quò minus mutuum contractum esse dicatur *arg. l. 9. C. de rescind. vend. Sneid. ad pr. Inst. quib. mod. re contr. obl. n. 13 Treutl. vol. 1. disp. 20. tb. 1. lit. G.*

XLII. Porro debitor non solum in eodem genere, verum etiam eadem qualitate & bonitate debitum reddere debet *l. 3. de R. C. & quidem totum, nec enim creditor particularem solutionem admittere tenetur l. 41. §. 1. de usur. l. 13. §. 8. de act. emt. l. 3. pr. fam. exerc. Magn. ac Nobiliss. Dn. D. Struve exerc. 38. tb. 41. Treutl. 1. disp. 20. tb. 1. lit. A. & 2. disp. 29. tb. 2. lit. B. Suth. disp. 15. tb. 83. aliud autem obtinet, si debiti pars sit illiquida, tunc liquidam partem oblatam recipere tenetur *l. 21. de R. C. l. 8. si pars hered. pct. Magn. Dn. Ordinarius exerc. Justin. 12. q. 9. in nego Gædd. ad l. 32. de V. S. n. 11. Sneid. ad §. item Inst. quib. mod. toll. oblig. n. 13. Exceptio tamen est in hæredibus, qui non nisi pro portione hæreditaria solvere cogi possunt *l. 85. §. 5. de V. O. habent enim beneficium divisionis ipso jure ex l. 12. tabb. l. 25. §. 13. D. l. 6. C. fam. exerc. & fidejussoribus, qui itidem beneficium divisionis ex epistolâ D. Hadriani habent §. 4. Inst. l. 26. D. de fidej. ut. & in tutoribus, quibus idem beneficium exemplo fidejussorum tributum *l. 1. §. 11. de tut. & rat. distr.****

XLIII. Hic etiam quaeritur: An ante diem invito creditori rectè solvi possit? Pro quâ quaestione decidendâ distinguendum esse putamus, utrum creditoris, an verò debitoris gratiâ dies adjectus sit. Hoc casu invito creditori rectè ante diem solvi posse dicimus *l. 70. de solut. l. 38. §. 16. l. 137. §. 2. de V. O. quæ h. revera de creditore invito, non volente, uti quidam putant, intelligendæ. Dicitur enim, potest debitor solvere, potest verò quod suo jure potest, & potest suo jure, quod invito creditore potest *Philip. Matth. ad l. 17. de R. J. n. 25. Objicitur quidem quod verbum potest non semper contra invitos intelligatur; dicitur enim, possum donare, sed non nisi acceptanti, possum emere, ast non nisi à volente; verum exempla hæc huc non quadrant, cum alter ibi ad nihil sit obstrictus, hoc verò nostro casu creditor ad acceptandû obligatus *Riem. quæst. illustr. dec. 11. q. 9. Si verò creditoris gratiâ dies adjectus, solvi ei invito ante diem nequit. l. 15. de ann. leg. In dubio tamen præsumitur dies debitoris gratiâ adjectus. l. 17. de R. J. l. 41. §. 1. de V. O.***

C

XLIV.

XLIV. Quod verò dictum, in eadem bonitate reddi debere debitum, hinc quærunt: An liceat etiam melius reddere, veluti pro vinò Necarinò Rhenanum vinum? Quod videtur negandum, siquidem contra essentiam mutui est, quæ in eo consistit, ut in eodem genere reddatur *l. 2. pr. de R. C.* nec aliud pro alio invito creditori solvi possit *d. l. 2. §. 1. Facit arg. §. 33. vers. quin etiam licet Inst. de aët.* ubi dicitur, quod is, qui vilissimum petit, plus petere intelligatur, ita e contrario qui melius reddit, minus reddere videatur, sæpe enim accidit ut petitoris magis intersit illud solvi, quod minoris pretii.

XLV. Sed quid dicendum de nummis v.g. si Joachimici mutuò dati, an minuta pecunia reddi possit? Et in initio videtur, pecuniam minutam reddi non posse, siquidem mutuum in eodem genere, quo datum, reddendum. *l. 2. pr. de R. C.* videtur verò aliud genus in Joachimicis, aliud in pecuniâ minutâ esse. Sed magis juris veritati congruum, pecuniam mutuò datam in Joachimicis etiam in minutâ pecuniâ reddi posse *arg. l. 1. de contr. emt. l. 65. §. 1. de V. O. l. 159. de V. S. l. 1. C. de ver. num pot.* non enim corpora, sed æstimatio nummorum credita *d. l. 65. §. 1. Magn. ac Nobiliss. Dn. D. Struve exerc. 13. th. 18. Treutl. 1. disp. 20. th. 12. lit. A. Harpr. ad pr. Inst. quib. mod. re contr. obl. n. 191. & seqq.* nec aliud genus monetæ datur, cum pro Joachimicis minuta redditur, sed tantum forma extrinseca mutata. Cui quo etiâ convenit *Const. Monet. de anno 1559. §. Die test gemelten* ubi tamen additur limitatio, nisi specialiter de certò genere conventum sit, nam tunc corpora ipsa, non æstimatio, credita, vel nisi ultra 25. florenos in monetâ minutâ reddere velit debitor, quo casu notabile damnum subesse putatur, propter sumtus, quos impendi necesse est, si enim damnum aliquod passurus sit creditor, non cogitur in aliâ formâ nummos recipere *l. 99. de solut.* ex quâ *l. arg. sc. ductò à contrariò sensu,* (quod in jure nostrò bonum *gl. in l. 18. qui test. fac. poss. imò contrarius legis sensus pro lege accipitur gl. in l. 20. §. 6. qui test. fac. poss.*) etiam sententia nostra confirmatur. Imò & consuetudine ita observari quotus quisque non videt?

XLVI. Sed si mutati fuerint nummi, an tunc solutio secun-

secundum eam bonitatem, quam habuerunt tempore contractus, vel quam tempore solutionis habent, facienda? Quidam distinguunt inter bonitatem intrinsecam, in materia & pondere Schrot und Korn/ & extrinsecam in valore auctoritate publicâ superveniente consistentem, & dicunt, quoad illam contractus, quoad hanc solutionis tempus attendendum esse. Alii verò & in bonitate intrinsecâ & extrinsecâ tempus contractus observandum esse statuunt per l. 3. de R. C. Magn. ac Nobiliss. Dn. D. Struve ex. 13. tb. 20. Wespar. de R. C. n. 12. Harpr. adpr. Inst. quib. mod. re contr. oblig. n. 208. & seqq. Moventur verò dissentientes his præprimis rationibus, quod auctâ bonitate extrinsecâ etiam pretia rerum crescant, diminutâ eâ & pretia decrescant, ac quod auctâ bonitate extrinsecâ nummi majoris, minoris intrinseca bonitas deterior fiat. Ad (1) R. N. mutationem enim bonitatis intrinsecæ sequitur quidem mutatio pretii; ast non bonitatis extrinsecæ, quale exemplum habuimus ante aliquot annos, quo tempore Imperialis valuit 24. florenis, nec tamen pretia rerum in tantum crevere valorem. Secundum argumentum loquitur tantum de mutatione apparente, non verò de verâ, quæ est, quando & major & minor moneta intrinsecè bona, & augetur major. e.g. Ducati olim sesqui thalero, hodie 2. valent, quibus non obstantibus, sequitur tempus contractus inspiciendum esse, quam sententiam in Camera etiam observari docet *Minsing cent. 4. obs. 1*. Limitationes qualdam vid. apud *Magnificum ac Nobilissimum Dn. D. Richter Com. Palat. Cas. Professore in hac Salana Publicum celeberrimum, Præceptorem meum venerandum decis. 72.*

XLVII. Cùm itaq; obligatio mater actionis sit arg. l. 42. §. 2. de proc. necesse est, & hanc, quâ debitor creditori obstrictus, actionem quandam parere, quæ cùm personalis §. 1. Inst. de act. appellatur condictio §. 15. Inst. de act. l. 25. de O. & A. quæ vel certi est, vel incerti. Et verò res illæ, quæ in mutuum veniunt, maximè certæ, utpote certò pondere, numero & mensurâ constantes, ideoq; actio hæc vocatur condictio certi pr. Inst. quib. mod. re contr. oblig. & quidè specialis §. 22. Inst. de act. cùm enim frequens & separatus sit contractus, ideo & separatam ex eo actionem dari necesse est. Vocatur verò aliàs actio mutui l. 5. C.

quib. non obj. long. temp. præscr. actio si certum petatur l. 1. pr. de
cond. tritic. actio pecuniæ creditæ l. pen. §. fin. de inst. act. daturque
creditori hæredi; contra debitorem hæredemq; ad rem in eo-
dem genere & qualitate restituendam, secundum ea, quæ supra
dicta sunt.

XLVIII. Contra hanc actionem nonnunquam à debitore
exceptio non numeratæ pecuniæ objicitur, quæ in hoc privile-
giata, ut si intra biennium (de jure antiquo quinquennium re-
quirebatur *Inst. de lit. obl.*) opposita fuerit, onus probandi, con-
tra regularem exceptionum naturam l. 19. de prob. in adversariū
transferat. l. 3. §. 10. C. de num. pec. & quamvis creditor intra illud
tempus non egerit, debitor nihilominus decunciare ei poterit
se nihil debere, vel si is absens, coram iudice querelam non nu-
meratæ pecuniæ testari, & apocham per conditionem repetere
potest l. 7. l. 14. §. 4. C. de non num. pec. l. fin. C. de cond. ex lege. si verò
creditor numerationem probaverit, debitor in duplum conde-
mnatur *Auth. contr. C. de non num. pec. Nov. 18. c. 8.*


XLIX. Post biennium verò reus exceptionem hanc oppo-
nere volens, si eam probare possit, auditur; quod patet ex natu-
rà huius exceptionis, quæ ideò introducta est, ut eam maximè pro-
visum sit reo, si verò post biennium eam, etiam si probare velit,
opponere nequeat, tunc magis damno, quam commodo reo e-
rit. *Magn. Dn. Ordin. exerc. Just. 11. q. 9. Nec obst. l. 8. in fin. l. 14. pr.*
ibi nullo modo C. de non nū. pec. Nam *ad. ll.* intelligendæ de excep-
tione privilegiatâ, de qua omnes text. C. loquuntur, at inde nõ
sequitur, quod secundum communem exceptionum naturam
ea post biennium opponi nequeat.

L. Locum etiam habet hæc exceptio inter mercatores, nec
enim de apicibus juris est, nec ullum huius limitationis in jure
apparet vestigium *Nobiliss. Dn. D. Brunnem. disp. Justin. 17. ad tit.*
Inst. de lit. oblig. Treutl. vol. 1. disp. 20. tb. 2. lit. C. ibiq; Bacchov.

LI. Sed quid, an etiam huic exceptioni renunciari potest?
Et videtur dicendum, quod non; si sc. initio renunciatio inser-
ta fuerit, eadem enim facilitate, quâ quis ad chirographum tra-
dendum inducitur, etiam ad renunciandum commoveretur; si
verò ex postfacto subsequuta renunciatio, tunc valere eam pu-
tamus *arg. l. 22. C. ad SC. Vellej. l. 19. vers. diversum de novat. & de*
leg. Speid. ad tit. Inst. de lit. oblig. n. 19.


Sed pedem hinc figo, inq; Christo, à quo exorsus, desino.






ULB Halle
005 132 606


3



VDA7







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

~~411.~~ 33

1650, 16

IRIDICUS

UO.

Triade.

ac Nobilissimo

Inclutâ Salanâ

issimo, Consultissimo

issimo

ME THOMÆ

icô famigeratissimo,

us hujus loci Adfessore

no omni observan-

equendô.

submittit

Bedell Nob, Pom.

Maji.

suætis.



Æ

ENGENWALDUS.

